Epiſtola nuncupatoria.

Leo meus nuper ablactatus, educationis incrementa opiparè eſſet apud te conſecuturus. Multo enim indiget cibo: nec quenquam hodie noui, qui liberalius ac libentius vno te ſit impenſam hanc, quæ tua eſt humanitas, facturus, cùm præſertim largiſsima tibi ſit earum rerum copia, quibus Leo meus paſcendus eſt: mox verò vbi vires adeptus idoneas fuerit, tuorum literatorum ope curáque ſaginatus, nulla noſtra verecundia theatris exhibitus, ſpectaculo quouis publico feliciſsimiis tui nominis auſpicijs emittatur.

Vale.